



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 1. Pauperum inani querelæ quomodo satisfiat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

posuerit frenos amenti gradui, quàm in vastum se se proripuerit nemus, ingentiq; cum molestia ibi diem totum egerit. Noctu urbem petens, cum portas offendisset clausas, in firmi aceruo prostratus, lucem expectauit. Manè verò urbem ingressus, in fabri cuiusdam lignarij domo abstrusit se se, ibiq; iugiter per sex menses solus, ac sine libris, vitam protraxit, plenam tristitia, Diris, execrationibus, desperatione, & similem vitæ damnatorum. Huc redigit inopia. Nonné ergo grande malum est paupertas? Et tamen, vt initio diximus, à Deo est. Quo modo à bono potest esse malum? Hæc spina est, quæ pungit ineruditos, aut, vt verius dicam, impatientes, diuinorumque iudiciorum ignaros.

C A P V T. II.

Quid sit, & quotuplex paupertas; tresq; pauperum classes.

§. I.

Pauperum inani querela quomodo satisfiat?

Magnus est numerus hoc morbo laborantium; multi hac plaga icti superos querelis suis percusserunt, quorum

quorum vulnus numquam veniet ad cicatricem, nisi didicerint consilia Dei rectius æstimare. Ad quæ non curiosè, sed piè scrutanda Propheta quoque hanc quæstionem induxit: *Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te:*

Jerem. 18.

10

Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prevaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum. Ad quam quæstionem abundè respondet Dominus, cum ait: *Beati,*

Luc. 6. 26

qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis: quia ridebitis, &c. Verumtamen va vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Va vobis qui saturati estis: quia esurietis. Va vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis. Numquid enim hæc sufficiens est causa, cur mali copiâ gaudeant, boni inopiâ premantur? quis iam non mavult esse Lazarus, quàm epulo purpuratus? Scitum est illud Bedæ dictum: *Mali nihil habent in calo, boni nihil habent in mundo.*

Quod solum verbum pellere potest omne fastidium ex egestate. Sed altiùs rimandum est, quid sit paupertas, & quàm varia, itemque an, aut quæ mala? immò potiùs, qui sint pauperes, & quàm diversi; & si qui sunt

B

mali,

mali, an non ipsi potiùs mali, quàm paupertas? cùm plurimi sint, quos optimos fecit paupertas; plurimi, quos diuitiæ pessimum dederunt; quamuis nec ipsæ malæ, sed (quemadmodum inopia, atque egestas) vel virtutum, vel vitiorum instrumenta, prout in bonas malasue mentes inciderunt.

Eccli. II.
14.

Quoniam igitur *paupertas & honestas à Deo sunt*, & utroqueversus trahi possunt, homini, non Deo attribuendum est, si quid mali coniungitur cum paupertate. Vnde rectè

Prouerb.
17, 5.

in Prouerbio dicitur. *Qui despicit pauperem, Deo exprobrat*, cuius tamen sapientissimam in rebus dispositionem, vel ipsi pauperes laudant, si sunt sapientes.

§. II.

In quonam consistat paupertas?

Quid igitur est paupertas? Vulgus male eam putat esse aliquid quod possidetur; vocat enim exiguas opes paupertatem. *Meam*, inquit, *paupertatem magno labore corrasam, seruo in arca: meam paupertatem pro agro, pro villula expendi, meam mihi paupertatem furatus est seruus furcifer*. Ita enim vulgus loquitur, vt id, quod modicum est, non autem quod deest, appellet paupertatē; & si fur abstulit, quod parum aderat, *abstulit*.